

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 37. Omnes Apuliæ ditiones ab Hispanis recuperatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](#)

§. XXXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1509.*Omnes Apulicæ ditiones ab Hispanis recuperatae.*

Interea Pro-Rex Neapolitanus, quamvis *Marian. ib.*  
 animo tardus, rebusque gerendis mi- *n. 83.*  
 nus idoneus, nihilominus exeunte Men- *Pet. Justus.*  
 se Majo copias, quas contraxerat, in A- *l. 10.*  
 puliam eduxit, ut urbes a Venetis viola *Raynald. hoc*  
 ta foederum fide detentas recuperaret. *ann. n. 16.*  
 Ergo præprimis Traniū obsidet, quam  
 urbem nonnullorum civium, quibuscum  
 clandestina fovebat consilia, ope fretus,  
 se brevi expugnaturum sperabat. Ve-  
 rum Veneti sinistro hoc, eoque communi-  
 rerum suarum fato adeo concutiebantur,  
 ut ipsimet ultronea cessione cunctos ho-  
 stium suorum insultus præverterent;  
 quippe continentis ditiones se tueri pos-  
 se desperantes, regionem illam etsi opu-  
 lentissimam, utpote omni ex parte Hispa-  
 nis perviam relinquere statuerunt, dato  
 singulis Ministris mandato, ut cunctis  
 urbibus libertatem redderent, iisque re-  
 mitterent fidei sacramentum in foro S.  
 Marci præstitum; clam vero, disertisque  
 verbis Respublica Brundusii Hydrunti,  
 Tranii, Molæ, Puliniāni, & Monopo-  
 lis Gubernatoribus præcepit, ut Hispani-  
 is minimè sese opponerent, sed hasce  
 urbes eisdem traderent: ad tantas nim-  
 rum

**Sæcul. XVI.** rum angustias Venetorum res decreverant, ut nonnisi sinus sui Insulas defendere amplius possent.  
A.C. 1509.

### §. XXXVIII.

#### *Maximiliani Imperatoris exercitus in Italia.*

*Ciacon. in  
Jul. II.  
tom. 3. p. 224  
Raynald. ad  
an. 1509. n. 2.*

Denique etiam Imperator non nisi septem leucis ab Oeniponto distans ad Alpium fauces cum exercitu suo jam ineunte Mensa Junio penetravit, Venetos ex Tirolis finibus aggressurus. Præerant ejus copiis Christophorus Francipanus & Brunsvicensis Dux, qui exigua militum manu in Histriam excurrentes, Tergestum citra pugnæ discriminem occupant, omnesque Fori Julii urbes, quas in nupera contra Venetos expeditione Cæsar amiserat, recuperant. Nec tamen Respublica fatali malorum concursu animum despontit, sed comperto, quod Cæsar Esteranem adventasset, mox ad sedandum ejus animum legationem decrevit, quæ pacem ab illo exoraret conditionibus illius arbitrio penitus relictis. Parli submissione summum Pontificem, & Ferdinandum Arragoniæ Regem placare satagebant: ad Imperatorem porro ablegabant Antonium Justinianum, dato negotio, ut eidem subscriptis omnium Senatorum nominibus chartam vacuam offerret,

*Marian.  
l. 29. n. 83.*